





THEORIA PHYSICA 25
MONSTRORUM,

Quam 1629 4

DDOM.

IN ILLUSTRILEUCOREA 35

SUB PRÆSIDIO


M. JOHANNIS Sperlingen
Lauchâ-Thuringi,

Examini publico proponit

MARTINUS MICHELMANNUS
Sangerhusâ-Thuringus,

Ad diem 17. Septembr. horis à 7. matutinis.

In Auditorio Philosophorum.



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBAC
ANNO MDCXXIX.

Th. Z.

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE



Σὺν Θεῷ.

PRÆLOQUIUM.

Philosophi quoties operosum
Mundi theatrum perspiculare satagunt,
omnem in modum *de pulchritudine*,
quam in omnibus singulisque partibus
& particellis deprehendunt, gaudere
solent. Nec mirum. PULCHRITUDO enim summa
cum ex se oculorum lumine tractabilis non sit, egregia
vestigia, insignes imagines, immensasque statuas pro-
duxit, in quibus gens quam sacra animarent Philoso-
phemata, rem suapte naturâ inadspectabilem adspice-
re, sanctaque oblectamenta capeffere valeret. Scilicet
amantes si rei quam depereunt copiam habere nesci-
ant, vel ideam illius avidè acceptant, jucundeque ad-
spectant. Verùm improvisè gaudia ista antequam ado-
lescere queant, miserâ jugulantur clade. O quam cru-
dales spinæ rosis adnatæ sunt tenellis! Nam præter Mun-
di particulas sat bonas, sat perfectas, sat pulchras & sat
jucundas, etiam mirâ & dirâ fronte sese ostentant insue-
ta, disconvenientia, & enormia *τέρατα & πρῆξια* MON-
STRA Latinis nuncupata. Hæc ederas frondentes tri-
sti mutare cogunt cupressu, cœptaque gaudia omni re-
trudunt impetu. Hæc faciunt ut Patrem suus nonnun-
quam conterreat infans. Cum verò ex *qualibet re odor*
lucris bonus sit, nilque tam mutilum, tam horrendum &
tam naturæ inimicum esse possit, in quo non mens sana,

A 2

ani-

animusque veritatis avidus, usum solatiumque reperi-
riat, non rem nihili acturos nos speramus, si horum
περὶ τῶν καὶ περὶ τῶν naturam investigare allaboremus.
Etiam in re ignobili excellens quid latet. Sed ne de-
monstroso objecto monstrosa surgat dissertatio, quæ
monstroræ mentis solet esse manifestatio, faxit I L L E,
qui (monente autore lib. de Mundo cap. 6.) si vires spe-
ctes, valentissimus est; si formam, formosissimus; si vi-
tam, immortalis; si virtutem, præstantissimus.

THESIS I.

Theoriam Monstrorum absolvunt quatuor: 1. Existentia.
2. Essentia. 3. Differentiæ. 4. Causæ.

2. Cum verò ignoti nulla cupido, præconciendum est quid
nominis sit Monstrum. Patescet id, si pensitaverimus Monstri
1. Ἐτυμολογίαν. 2. Ὁμωνυμίαν. 3. Συναωνυμίαν.

3. Circa Etymologiam lis litem gignere videtur. Commu-
niter faciunt Monstrum à monstrando, sed num quia monstret,
an quod monstretur, non abs re dubitatur. Monstra enim nec
omnia monstrant, hoc est, futurorum notæ sũnt, ut Herma-
phroditi, qui etiam in delitiis habentur; nec omnia monstran-
tur, ut quæ ob sceditatem & majoris evitandi periculi ergò no-
te premuntur atrâ. Et sic Monstrum erit sine Monstri natu-
ra seu significatione.

4. Sunt qui existiment, monstrum non à verbo monstrare,
sed verbum monstrare à Monstro ducendum esse. Monstrum
verò à monitum, montum: ut à rado, rasum, rastrum: à rodo,
rosum, rostrum: à claudio, clausam, claustrum &c.

5. Nos, cum hoc parum referat ad metam propositam,
curiosi hîc non sumus, sed litem hanc dirimendam linquimus
Grammaticis. Recordamur tamen 1. Etymologiam veram
(Grammaticam, non Stoicam) non ex rei, sed ex vocis natu-
râ sumendam esse. 2. Non omnium verborum dici posse cau-
sas.

6. Quo-

6. Quoad Homonymiam Monstrum sumitur 1. *pro raro & insolito quovis.* Sic monstrosa fuit curatio Paralytici ob *νοσήματ' ἀκμήν* à Medicis deserti, qui periculi motus præsentia, ubi flamma superaverat ædes, sese præcipitem dedit & convaluit. 2. *pro errato artificis.* Sic Monstrum pingere dicitur pictor, cum à rectâ artis orbitâ declinat, & loco Dianæ effigiem minus amicam politam, excellentiq; Dianæ formæ planè inconvenientem producit. 3. *pro perfectione insigni.* Sic viri magni & sapientes dicuntur Monstra. Sed magis vocabuli abusu, quàm usu. 4. *pro corpore ἐν τῇ ἀρχῇ cum enormitate & deformitate in lucem edito.* Sic Monstra appellantur Monoculi, Gibbi, Valgi, &c. Alias vocis Homonymias ob instituti rationem mittimus, & in quartum significatum mentis aciem dirigimus.

7. Synonyma sunt vel Græca, vel Latina. Illa: *τέρατα σημεῖα, παρεκβάσεις, πηράματα, φάσματα, νοσήματ', πέλωρα, ἀλλόμορφα,* &c. Hæc: fetus monstrosi, monstrosa germina, mirifica corpora, ostenta, portenta, prodigia, &c. Ubi hoc notetur, inter Synonyma enumerata, quædam esse Grammatica, quæ rationabilem respectum nullum ad se invicem involvunt; quædam Philosophica, quæ aliquid latitans in Monstro exprimunt.

8. Præconceptis præconciendis rectâ Monstrorum Existentiâ aggredimur, & primâ quidem fronte. Nam quærere quid sit, antequam sciamus an sit, nihil est quærere.

9. Multum verò Existentiâ Monstrorum nos defatigare nescit, cum dari Monstra non tam rationum momentis, quàm sensuum experimentis abundè demonstratur. At sensum dimittere in iis, quæ sensibus manifesta sunt, & rationem quærere, infirmitas quædam intellectus est.

10. Tot autem hîc naturæ errantis sese ostendant germina, ut vix ætas aliqua dari queat, quæ tantâ fruisi potuerit felicitate, quin aliquot Monstrorum species adspectarit, attrectarit. Consuli possunt Historici, & præ cæteris M. Christophorus Irenæus de Monstris. Concedatur nobis vice hæc id, quod licebat in familia Xenophontis, qui ita: si à me ignem,

quis aut aquam fortè non habente poposcerit, locum unde
hauriat ostendam.

11. Quæritur hîc I. An Monstrorum Theoria spectet ad
Physicam? A. Eiusdem enim est disciplinæ, rem ut se juxta na-
turam & ut se contra naturam habet scrutari. Distinguendum
tamen est, inter id quod *directè & per se* spectat ad disciplinam;
& quod *indirectè & per accidens*.

12. Quæ. II. An cujusvis Monstri Theoria ad Physicam
spectet? N. Quadruplex enim nobis sese offert Monstrum:
1. *Divinum*, quod non prodit è principiis naturæ, finemq; habet
triplicem, vel ut religionis mutatæ imago fiat, vel ut tyranno-
rum & populi mores pingat, vel ut pœnas futurosque eventus
prænuntiet. 2. *Artificiosum*, quod fieri solet vel errore quodam,
vel datâ operâ. *Errore*: si pictor minus cautus equinam cer-
vicem humano addat capiti. *Data operâ*: Si homines spe-
ciosâ vanitate quasi adulterium naturæ admittant. Sic quo-
modo sit semiferum animal formandum, quomodo gallinæ
bicipites creentur, quomodo variarum figurarum aves produ-
cantur, &c. nonnulli tradiderunt laboriosè. 3. *Fabulosum*,
quod fingere solent Poëtæ, sive quid doctrinæ subfit, sive nihil.
Hinc immensa ista brutorum corpora, hinc Cyclopes, Polyce-
phali, &c. 4. *Naturale*, quod è naturæ surgit principiis, si in
agendo error oriatur & errorem degeneratio sequatur. Et hæc
Naturæ Monstra saltem præsentis sunt *συντήσεως*. Divinorum
enim explanatio à Philosophiâ sperari nequit; Artificiosa par-
tim à naturâ sunt, partim propriè non *τέχνη* sed *ἀναρτηματα*;
Fabulosa si sectaremur forsan non abs merito audiremus illud:
in tantâ temporis penuriâ discere supervacua, magna est de-
mentia.

13. Quæ. III. An Monstra dentur ob pulchritudinem uni-
versi, ita ut ex his defectibus consurgat mira quædam varietas
ornans Mundum, ut tabulatæ imagines & fimbriæ vestes? N.
Nemo enim aliquid alteri potest dare, quod nullâ planè ratio-
ne habet. Nam à quo quid proficiscitur, illi modo quodam-
modo inesse & competere debet. Nimirum I. si non formaliter; ta-

men eminenter. 2. Si non subjective: tamen effective. 3. Si non
mediate: tamen mediate & consequenter. 4. Si non actu ta-
men potentia, &c. At nullam plane deprehendere possumus ra-
tionem, qua perfectionem & pulchritudinem habeant Monstra.

14. Satis de *Existencia*: sequitur *Essentia*. Res hæc cognitu
difficilis, dictu periculosa est. Essentiam enim habere, & Mon-
strum esse, contradictoria videntur. Nam Monstrum non tam
notat *εἶναι*, quam *εἶναι* defectum.

In orb. non
defectus & ora

15. Definitur tamen hæc modo: *Monstrum est effectus natu-
ralis, à recta & solita dispositione secundum speciem degenerans.*
Anton Ruvius lib. 2. Phys. cap. 9. quæst. un. pag. 283. Francis.
Toletus lib. 2. Phys. c. 9. quæst. 13. p. 75. Colleg. Connimbr. l. d.
quæst. 5. p. 429. ex libr. 2. Phys. Aristot. c. 9. t. 82. & ex lib. 4. de
gener. anim. c. 4.

16. *Effectus naturalis est*: ut excludantur Monstra, quæ suo
etiam modo in artificialibus solent accidere, & vocantur Mon-
stra per quandam Analogiam ad naturalia. In arte proprie con-
tingit peccatum & error, cum à recta artis regulâ deviat, sed
talis effectus proprie Monstrum non est, Autores l. d.

17. *A recta dispositione natura degenerat Monstrum*: ubi e-
nim nullus defectus, nulla obliquitas, nullaq; naturæ diviatio
à naturali perfectione, ibi nullum monstrum. Et hoc est, quod
effectum naturæ mutat in defectum, & ἐκ τῆς φύσεως ἐργα fa-
cit παρεργον ἢ ἀνάπτια.

18. *A solita dispositione degenerat*: quia si effectus natu-
ralis monstrosus appellandus est, rarus esse debet respectu to-
tius naturæ & cujuslibet partis ejus. Quod verò alicubi fit fre-
quenter, vel ob naturæ fecunditatem, vel ob illius sterilitatem,
vel ob causas alias, Monstrum non dicitur.

3.
quod ab parte
dicendum Monstrum
vel frequenter
primitivè dicitur.

19. Additur ultimo loco *secundum speciem*: scilicet de-
generare debet effectus hic à dispositione speciei vi generatio-
nis debitâ. Non enim necessarium est, ut Monstrum semper sit
alterius speciei ab effectibus solitis & consuetis.

20. Quær. I. An Monstrum sit Ens Positivum, an Priva-
tivum? A. post. Orbatum enim & destitutum est bonitate
& per-

& perfectione naturali, naturaliter sibi conveniente. Hinc non privatio impropria & abusive dicta hic saltem intelligenda est, quæ negat potius quàm privat, quales sunt: absentia ser-
torum vel coronarum in capite, carentia annuli in digito, &c. Sed Privatio Propria & strictè sumpta urgenda venit, quæ res privat & spoliat tali formâ, quæ ad naturam rei ejusq; integri-
tatem pertinet, quales privationes sunt: cæcitas, mutilatio, mors, &c. Distinguendum tamen est, inter Monstrum sum-
ptum *Formaliter & Materialiter*. De illo loquimur non de hoc. Materialiter enim & secundum quid Ens positivum est.

21. Quær. II. An Monstrum sit Abstractum, an verò Concre-
tum? A. post. Monstrum n. notat formam, seu potius privationem,
& connotat subjectum. Hoc est, dicit 1. id, quod habet 2. id quod
habetur. Illud appellari solet Materiale; hoc Formale. Sicut
aliàs sese habet manus arida, pes claudus, &c. Sed intelligimus
Abstractum & Concretum Physicum seu Metaphysicum, non
Logicum, quod idem est quod Synonymum & Paronymum.

22. Quær. III. An Monstrum per se sit in aliquo Prædi-
camento? N. Patet ex his Scholasticorum versiculis, (ubi non
tàm scansionis bonitas, quàm rei veritas æstimanda, quibus e-
nim mens sapiens, illis sæpe os est insipidum) qui urgent, ut
res, quæ per se est in Prædicamento, tres habeat conditiones ex
parte vocis significantis, & quinq; ex parte rei significaræ:

*Una sit, & simplex vox, & benè consona rebus,
Entia, per sese, finita, realia, tota.*

23. Quær. IV. An Monstrum perfectè definiri possit? N.
Res clara est è præmissis. Quod enim Ens Privativum est, quod
Ens Concretum est, & quod in nullo Prædicamento est, defini-
tionem Perfectam non admittit. Imperfectam tamen (quæ
non est essentiæ per Genus & Differentiam Specificam expli-
catio, sed qualiscunq; eorum, quæ in re sunt, expressio & de-
lineatio) negare non possumus, & talis est illa Aristotelica in
th. 15. proposita.

24. Quær. V. An Spectra sint Monstra? N. in Monstris e-
nim datur quædam naturæ actio, licet vitiata; format virtus,
licet

licet pravè formet; adest materia, licet corrupta, divulsa, pau-
ca &c. At Spectra à censu & classe rerum naturalium exclu-
duntur. Ut ergò non sunt inter naturæ *ἐγγυα*: ita nec inter
ejusdem *παρεγγυα*.

25. Quare: VI. An Miracula sint Monstra? N. Sunt enim
Naturæ Naturantis opera, non Natura Naturatæ: sunt supra
naturam, non contra naturam. Hinc fiunt sine ullo causa-
rum secundarum defectu, sine ullâ illarum luctâ vel repugnan-
tiâ, & sine ullo earum damno & interitu. & quoq; fiunt cum aliqua

*Utiq; qd fiunt
causam eor
qb. repugnat bo.*

26. Quæ. VII. An Incubi sint Monstra? N. Sunt enim in-
cubi duplices: 1. *Præternaturales*. 2. *Naturales*. Illi dantur, quan-
do Diabolus Deo permittente per incantationes sagarum pre-
mit & amplectitur hominem; hi sunt affectus vel morbi, qui-
bus correpti se à quodam invadi, valde opprimi, & saltem non
suffocari, sibi inter dormiendum imaginantur. Illos Monstra
non esse, patet è dictis de Spectris; hos à Monstris segregare
jubet propria affectus hujus ratio, quod scilicet 1. non accidat
ejusmodi hominibus statim à nativitate, neque semper. 2. non
importet deformitatem externam.

*Ratio, a N
monstrorum
est latumj
atq; casu
vultu oritur*

27. Quæ. VIII. An qui nascitur cum maculis in facie, tho-
race, aut aliâ corporis parte; cum verrucis aut tuberibus in di-
gitis &c. Monstrum sit? N. Non enim qualiscunque, sed e-
normis deformitas Monstrum facit.

Et hoc est

28. Quæ. IX. An quibus membra fasciis aut ligamentis
pervertuntur, casu partes nonnullæ divelluntur aut rescan-
tur, ita ut non minor appareat deformitas in his quàm in iis,
qui verè ita nati sunt, Monstra sint? N. Non enim adest 1. na-
turæ *ἀναρτημα*. 2. Deformitas *ἐν δεξιᾷ* adhærens. Genitis de-
fectus hi advenère, non foetui à primo ortu adfuère.

29. Quæ. X. An Gigantes & Pygmæi Monstra sint? Dist.
Multa enim alicubi sunt Monstra, quæ in aliis locis talia non
sunt. Gigantes ergò qui immani corporum mole superbiunt,
si in provinciâ quâdam ob nimiam terræ fecunditatem, aut a-
liâ de causâ, generentur, Monstra censerì non debent; quia
non contra suetas naturæ leges, sed juxta illas fiunt. Et hîc

B

rectè

rectè distinguitur inter naturæ Intensionem & Deviationem. Sic Pygmæi, quorum tota cohors pede non est altior uno, si in certo loco ob nimiam terræ sterilitatem, vel aliam ob rem, oriantur, pro Monstris habendi non sunt, quia & hi juxta, non contra naturæ leges in hac suâ staturâ prodeunt. Unde & hic appositè inter naturæ Remissionem & Deturpationem distinguunt. Verùm si vel immanis illa vastitas, vel mirabilis hæc parvitas, in nostris & similibus provinciis, quo ad unum alterumve individuum contingeret, utique Monstri nomine talis effectus salutandus veniret. Tunc enim à solita secundum speciem dispositione fieret degeneratio.

30. Tantum de *Essentiâ* Monstrorum: sequuntur eorundem *Differentia*. Magna enim rebus adspergitur evidentia, si ubi id fieri quit, earum attendantur differentia. Sed hoc opus, hic labor est! Operosum & periculosum est valdè, viventium rectè sese habentium cunctas dare differentias: ac magis adhuc certis comprehendere Classibus omnes ἀμαρτήματα τῆς φύσεως species & differentias. Multiplex enim & fermè infinita est Monstrorum varietas.

31. Ut ea, quæ sunt notiora, comprehendere allaboremus, dispescimus Monstra in ista *quæ prodigiosè sunt, & quæ prodigiosè nascuntur*. Ibi partibus integris & illæsis saltem aliquid fit insolitè; hic deformitas adest in partibus ipsis, ubi corpus solâ ostentatione sui imperfectionis monstrat testimonium.

32. Quæ prodigiosè fiunt, vel *in modo nascendi, vel in quâdam proprietate ἐν τῇ δεξιᾷ contractâ*, contingunt. v.g. quando infans grunnit, ut sus: quando fœtus vociferatur in utero: quando fœtus in partu ridet aut loquitur: quando infans ex utero prodiens ilicò incedit: quando nascitur infans barbatus, dentatus &c.

physica ad
vaccinæ rifu
principiæ rifu

33. Quæ prodigiosè nascuntur, vel *speciem mutant: vel speciem servant*. Ibi Monstrum est alterius speciei ab effectibus fueris & solitis; hic species servatur eadem, sed adest alia quædam enormis deformitas.

34. Quæ

34. Quæ speciem mutant triplicis sunt ordinis. Alia enim etiam genere disconveniunt, v. g. quando ex homine nascitur globus membranaceus, aquosis bullis instar ovorum piscium refertus &c. Alia genere conveniunt & specie saltem disconveniunt, v. g. quando ex homine nascitur glis, ex mula lepus &c. Alia partibus quibusdam speciei debitis conveniunt, quibusdam etiam disconveniunt, v. g. quando infans nascitur, cujus inferior corporis pars est formæ humanæ, superior tetri bufonis: quando infans prodit carens oculis, brachiis, superciliis & manibus, ac sub coxis definit in caudam piscis: quando agnus habet caput bovis, vitulus caput pueri, puer caput ranæ &c.

35. Quæ servant, vel circa sexum, vel circa constitutionem partium sexu illæso fiunt. Ibi certæ speciei individuum pronatum vel est *sexus dubii*, vel *utriusq;*; hic naturalis partium constitutio vitatur & conturbatur.

36. *Sexus dubii* est, cum litigium oritur an *Mas* sit, an *Fœmina*, sicut plerumque accidit in *Fœminis* istis, quæ in mares converti creduntur; *Sexus utriusque* est, cum fiunt *Hermaphroditi*.

37. *Hermaphroditi* sunt vel *inter Mares*, vel *inter Fœminas*. Inter *Mares* 1. cum in perinæo seu interfœmineo muliebri pudendum exiguum videtur. 2. cum in scroto pudendum illud apparet, sed nullum adest excrementi profluvium. 3. cum ibidem est cum profluvio. 4. cum supra mentulæ radicem muliebris extat natura. Inter *fœminas* 1. cum penis supra genitalis fastigium in clitorio & imâ pube prominat. 2. cum penis ad inguinem vel in perinæo profertur.

38. Quæ circa constitutionem partium fiunt, contingunt 1. *ratione numeri*, 2. *ratione magnitudinis*, 3. *ratione conforma-* *Fnumeri.*
~~tionis~~ *tionis*.

39. I. *Ratione numeri* fiunt *Monstra* vel *in Defectu*, vel *in Excessu*. In *Defectu*, quando pars quædam abest, quæ adesse debebat. v. g. cum nascitur homo absq; auribus, absq; pedibus, absq; brachiis, absq; capite, *monoculus*, *monoxep* &c. In *excessu*

Excessu, quando pars quædam adest, quæ abesse debebat. v. g. cum generatur homo gerens duo capita, duo corpora, quatuor brachia, tres manus, sex digitos &c.

40. II. Ratione magnitudinis Monstra sunt itidem vel in Defectu, vel in Excessu. In Defectu, quando vel totum corpus enormiter à communi mensurâ recedit; vel quædam pars à iustâ magnitudine deficit, proportionemque nullam reddit. v. g. cum nascitur homo curtorum brachiorum, aut curtorum pedum: cum Pygmæus in terrâ minus sterili progeneratur &c. In Excessu, quando vel totum corpus plus iusto adaugetur; vel quædam pars insigniter excedit, debitamque proportionem tollit. v. g. Si nascuntur Macrocephali, Hydrocephali, aut Gigantes, iis in locis ubi suetæ naturæ leges id non efflagitant.

41. III. Ratione unitatis fiunt Monstra, quando partes continuitatem amittunt. v. g. cum nascitur infans aperto multumque hiante pectore &c.

42. IV. Ratione Conformationis vicissim magna Monstrorum est varietas. Fiunt enim Monstra 1. Ratione figuræ. 2. ratione cavitatis & meatus. 3. ratione superficiei. 4. ratione situs. 5. ratione connexionis.

43. I. Ratione figuræ, quando figura partis à naturali statu recedit, & loco Rectæ datur Curva, vel alia, loco Curvæ Recta &c. v. g. si nascatur homo quadrupedum more habens figuram pronam, faciem caninam, lupinam, vulpinam, &c. Huc spectant, qui Vatii & Vitæ, Valgi, Vari, Plauti, Planci, Gibbi, Simi &c. appellantur.

44. II. Ratione cavitatum & meatuum, quando certi viarum termini non servantur, vitio tanto ut externa quædam appareat deformitas. v. g. Si ob nimiam cavitatis dilatationem infanti contingat ventriculus latior, vel ob nimiam ejus adstrictionem angustior &c.

45. III. Ratione superficiei, quando qualitates secundæ mutantur, exteriorque inde surgit turpitudine & fœditas. v. g. cum mollities fœtus mutatur in duritiem marmoream: cum infans nascitur toto corpore hirsutus urisque instar villosus &c.

46. IV.

46. *iv.* Ratione situs, quando partes naturalem suum situm mutant. v. g. si oculi in mediâ fronte, nares in lateribus, aures in occipite sint: si facies in tergo & manus adnatae scapulis sint, &c.

47. *v.* Ratione connexionis, quando partes, quæ conjungi debebant, disjunguntur, & quæ disjungi debebant, conjunguntur. v. g. si à primo ortu cohæreant duo digiti, connectantur extremitates sphincteris, nimium intendantur vincula & ligamenta linguæ. &c.

48. Quæritur I. An ex congressu hominis & bruti generari possit homo? N. Socia enim & Partialis causa sola effectum producere nequit. Ob id enim Socia est & dicitur, quia alterius efflagitat consortium & concursum. At unicus homo in generationis actu stat pro causa Sociâ & Partiali. Nec brutum homini junctum supplere valet vicem reliquæ causæ partialis, quia non est ejusdem cum alterâ causa ordinis & gradus.

49. Quæritur II. An qui sex digitos in manu habet Monstrum appelleretur, propter illud ipsum Ens, quod cæteris quinque digitis superadditum est? N. Nullum enim Ens quatenus Ens malum est, sed quatenus caret quodam esse. Ergo ob proportionis privationem & disconvenientiam, quæ illi enti adjacet & inhæret homo talis Monstri diffamatur titulo.

50. Quæritur III. An Cobali vel Kobaldi sint Monstra? N. *Utique utmp* Faciunt horum genera duo: 1. eorum, qui ad spectu truculenti & infesti sunt. 2. illorum, qui domestica servitia obeunt, domum purgant, ligna & aquas apportant, & semper mites & innoxii sunt nisi chachinno aut maledictis excipiantur. De utroque genere idem esto judicium, quod de Spectris.

51. Quæritur IV. An Fauni & Satyri, qui corporis humani & caprini lineamenta gerebant, vocemque humanam edebant, partim beluæ, partim homines fuerint? N. impossibile enim est duas naturas completas in speciem unam coalescere.

B. §.

51. Quæritur.

52. Quær. V. An Nymphæ & mulieres aquaticæ sint Monstra? N. Diabolus ita ad hominum genus defraudandum ex Elementis sibi adornat corpus, atq; in lacubus & fluviis fraude, permittente Deo, necat incautos.

17
b: 28 qd in ta
la obligat, nulla
pfectione.
20.

53. Quæritur VI. An αἰθρῶν φάγοι, vitrivoraces, & qui saxa, lapides, carbones, lutum, aliasque res, à quibus natura aliàs abhorret, suo magis emolumento quàm nocumento deglutunt, Monstra sint? A. Referuntur ad ea, quæ prodigiôsè fiunt.

54. Quæritur VII. An qui Monstrôsî sunt corpore, Monstrôsî sint etiam anima? N. Quamvis enim Animata vocemus Monstra, eaque constent non corpore saltem, sed & animâ: tamen rectè corpus dicitur Monstrôsî, anima non item, quia hæc depravari & variè fingi nescit. Sin autem generaliter Monstrôsî sumatur pro vitioso, aliquid omninò concedendum est, si non quoad essentialia, tamen quoad accidentalialia; si non apodicticè, tamen probabiliter. Sic enim affecto corpore afficitur anima, impressiones recipit, & quales hæc sunt, talis fit ipsa. Quemadmodum aliàs Melancholici pavent, Cholericî fervent, Sanguineî gaudent, &c.

55. Quæritur VIII. An Dracones in aëre volitantes, icones acierum & exercituum dimicantium, pluvie sulphuris, sanguinis, lactis, cretæ, piscium &c. Monstra sint? N. Meteora & insolita effecta rectius hæc appellitaverimus quàm Monstra.

17
qz gratia p oib.
actens, ut fellu
capite & patet
: h. r.

56. Quær. IX. An Monstra eveniant corporibus perfectis inanimatis? N. Quia ibi nulla propriè dicta generatio, quippe quæ naturalissimum opus viventium est. Varia tamen naturæ ludentis & ridentis opera hic sese ostentare solent. v. g. Lapidum alii repræsentant Solis effigiem; alii caput regium cum diademate; alii manus; alii pedes; alii digitos; alii septem Musarum & Apollinis imaginem, &c.

57. Quær. X. An Monstra eveniant Plantis? A. Hæc enim propriè generari dicuntur, unde si insuetum & enorme quid iis accidat, pro Monstris habentur. Hinc Plantarum
Mon-

Monstra dantur ratione figuræ, situs, magnitudinis, numeri, connexionis, &c. Referunt huc si in arboribus frumenta nascantur, si tilia alio ramo baccis, alio nucibus, alio pyris, alio omni pomorum genere onusta, sit &c. Sed pertinent hæc ad Monstra Artificiofa.

58. Quær. XI. Cur frequentiora & crebriora Monstra fiant in Animalibus, quàm in Plantis? R. Quia 1. harum semen est durius & siccus, illorum mollius & humidius. 2. harum generatio est facilior, illorum operosior.

59. Sat etiam de Monstrorum *Differentiis*: nunc ad *Causas*. Nam omne malum habet aliquam causam, quia nullum Ens ex se est malum: ergò si est malum, ab aliquâ causâ tale est. Adde, quod nulla res mala sit, nisi in quantum recedit à perfectione sibi debitâ, sed nunquam hoc facit, nisi ob aliquam causam vel agentem, vel saltem impedientem. Suarez tom. 1. Metaphys. Disputat. XI. sect. 3.

60. Hic verò mira opinionum existit varietas. Quisquis enim Monstra ad suos examinat canones. Theologi Theologicè, Medici Medicè, Mathematici Mathematicè, Physici Physicè, Ethici Ethicè, alii aliter, causas, quæ animata tot tantasque subire facies reddant, impellantve majore conamine indagare amplioreque verborum circuitu memorare laborant. Nos in naturalis scientiæ nosmet continebimus circulo.

61. Explicari solent saltem causæ duæ: 1. Subjectiva seu Materialis. 2. Efficiens. Omne enim Monstrum vel fit vitio Materiæ, vel defectu Efficientis.

62. Materia est semen, quod Monstri causa fit tribus modis: 1. *Si deficiat*: Sic ob inopiam seminis fiunt Monstra in magnitudine & numero Deficiente. v. g. caput parvum toti que corpori improporionatum, manus brevior alterâ, manus quatuor digitorum &c. 2. *Si superfluat & redundet*. Sic ob copiam seminis Monstra fiunt in magnitudine & numero Exceden-

cedente, v. g. caput immane, capita duo, quatuor brachia, tria corda, &c. 3. Si variè permisceatur. Sic ob diverforum seminum commistionem oriuntur gibbi, mutili, &c. Sed non excludimus sanguinem menstruum.

63. Efficiens vel est *Primarium*; vel *Secundarium*. *Primarium* vel est vis *Formatrix*; vel *Phantasia*. *Secundarium* seu instrumentarium vel est *Locus*; vel *Qualitas* quædam *Elementaris*. Sed totaliter non excludimus 1. *DEUM*, tanquam agens principalissimum. 2. *Corpora cœlestia*. 3. *malos Spiritus*.

mon. his, ya. cor.
ficum fl. 60.

64. *Vis Formatrix* seu *Seminalis* vel *debilis* est; vel *fortis* valdè. Priori modo ob ruditatem & hebetudinem ejus fit partium distortio, mutilatio, prava locatio, &c. præsertim illarum, quæ à corde & jecore, ubi vis hæc sedem locavit, magis distant. v. g. manuum, pedum, capitis, &c. Valet hic, virtutem minus agere in distantia. Posteriori modo ob illius vehementiam conjunguntur membra disjungenda, unde crescunt gemelli, &c.

65. *Phantasia* si erret, quid producere soleat est notissimum. Nosmetipsi *Phantasiæ* vires quotidie experimur: cogitando læta lætamur, tristia tristamur: esurientes cibum lautiozem nobis quando imaginamur, salivam in os illabantem & largè promanantem sentiscimus, &c. Ita quoque lascivis canis, uriculis, Venereisque cogitationibus qui delectantur protinus spirituum humorumq; motum versus genitalia percipiunt &c. unde admirandi planè imaginationis sunt effectus in mutatione & signatione fœtuum, quos præstare possunt mediantibus animi passionibus, motu humorum & spirituum &c. Sic gallina dum incubavit ovis milvi aspectu perterrita fuit, & exclusit pullos milvino capite.

66. *Locus* comprehendit *Uterum* & *Aerem*. In utero angusto fiunt manci, Pygmæi, &c. in laxo Gigantes &c. in distorto & malè disposito, claudi, gibbi &c. Sic quoque pro varietate aeris variari solent fœtus. Unicuiq; enim patria quasi parens est.

67. Qua-

67. Qualitates Elementares quod spectat, si inter istas de-
curasymmetria, nimiumq; vel intendatur, aut remittantur,
necessum est totam corporis molem depravari, & generari in-
fantes cum dentibus, capillis, barbis, &c.

68. Hæ sunt causæ præcipuæ & frequentiores Monstro-
rum, nondum tamen omnes. Monstra enim sunt *ἀναρτηατα*
naturæ deviantis à recto: at *in finitis modis à recto aberrare*
contingit.

69. Quæritur I. An Monstra habeant propriam & intrin-
secam causam Formalem? N. Malum enim non habet propri-
am & intrinsecam causam Formalem præter seipsum, seu suam
malitiam. Habent verò Monstra quodammodo Remotas &
Extrinsecas causas Formales, quæ non constituunt ea, sed solum
sunt formæ, ad quas consequuntur. Sicut aliàs calor aquæ in-
hærens, quando non effectivè sed formaliter frigus expellit,
formalis causa privationis frigoris dicitur.

70. Quæ. II. An Monstra habeant causam Finale? *Affirmat & Bern*
vel: An per se sint intenta à Naturâ? R. Distingv. 1. inter *Natu-
ram Naturantem* seu causam primam ordinantem ac dirigen-
tem causas secundas ad productionem suorum effectuum; &
inter *Naturam Naturatam* seu causas secundas. 2. inter inten-
tionem Naturæ *Primariam*, quam præ oculis habet in
suis operationibus; & *Secundariam*, quæ datur ubi *Primaria*
locum non habet, vel habere non potest nisi medio alio. Quo-
ad Naturam Naturantem Monstra per se sunt intenta à Natu-
râ, non verò effectus per accidens aut casuales. Quoad Natu-
ram Naturantem, Monstra per se intenta non sunt intentione
Primariâ, quia sic semper intenditur effectus perfectus inten-
tione tamen *Secundariâ* per se intenta sunt, quia cum Natura
consequi non potest effectum sub esse perfecto, intendit saltem
eum producere sub esse imperfecto. Ruvius l. d.

71. Quæ. III. Quomodo Deus concurrat ad produ-
ctionem Monstrorum? R. naturam agentem sustendendo.
2. potentiam agendi largiendo. 3. ad certum finem actio-
nes dirigendo. Quemadmodum aliàs ordine agentem volun-
tatem

C

tatem

tatem & sustentat & adjuvat Deus: ruentem contra ordinem, non adjuvat, etsi sustentet: & licet conatum non impediat in actionibus ordini contrariis: tamen vel ne perficiat quod conatur prohibet; vel quousq; quod illa conatur permissurus sit constituit, ut loquitur Admodum Reverendus & Excellentiss. Dn. D. Jacobus Martini in Exerc. Metaph. l. 2. Ex. 5. th. 6.

72. Quær. IV. An Dæmones cum Magis corpora Monstruosa progignere queant? N. Spiritibus enim planè non competit generatio, quia destituuntur semine à quo generatio proximè pendet. Nec enim à se ipsis habent semen, nec ab aliis. Illud patet, quia organa procreandi semen non possident. Hoc manifestum est, quia suffurari id nequeunt: semen enim foecundum continere debet Spiritus, sed aëri si exponatur spiritus evanescunt, semen liquefcit, aquescit, atq; sic infœcundum redditur. Arist. 2. de gen. animal.

Conclusio.

Hæc de Monstris Intellectus humanus si intelligere attendet, nec summam Æterni intellectus vel primo adpectu adfective deprehendat *Severitatem*, qui nunquam sat decantatum Naturæ ordinem ob hominum scelera turbari & conturbari permittit,

— *illum genuit duris in caulis horrens*
Caucasus, Hyrcanaq; admôrunt ubera Tigres.

SOLI DEO SIT GLORIA.

Ad

Ad Præstantiss. Dn. RESPONDENTEM,
De MONSTRIS disputantem, Amicum
meum colendum.



*Uti sint MONSTRA, cupis monstrare
atq; ordine certo*

*Tradere: Nil monstri continet illa
Thesis.*

*Namq; prius tenebris & quæ latuere sub umbris,
Exponis Soli, clarius atq; doces.*

*Quæq; prius fuerant Chaos indigestaq; moles,
Digeris, ut gratâ mente Juventa legat.*

M. JOHAN Schwalbe
Fac. Philos. Adjunctus.

NON abs re dictum; labor improbus omnia vincit:
Hoc probat exemplum, dulcis amice, tuum.

Namque indefesso nactus studio esse videris,
Ut re Philosophi nomen habere queas.

Gratulor hinc meritò tibi MICHELMANNE, precorq; que
In Domini laudem vergat & in Patriæ.

*M. Georgius Balthasari,
Lubecens. Saxo.*

MICHEL-

MICHELMANNE, mihi dilecte, quid audio? Time
Qua timet auditus, Monstra docere cupis?
Undiq; monstrorum satis hoc jam tempore, non est
Ut studeas nostris illa vocare foci.
Sed non hac tua mens, non monstris bocce Lycaum
Implere est animus; monstra fugare cupis;
Monstra quidem recitas, sed non monstrosa, studesq;
Monstrorum proprias enumerare notas.
Perge ita ter trinas studiis mactare sorores,
Istis pro monstris saepe brabea ferēs.

Deproperabat

David Henningus
Fraustad. Siles.

FINIS.



MICHELMANNE, mihi dilecte, quid audio? Time
Qua timet auditus, Monstra docere cupis?
Undiq; monstrorum satis hoc jam tempore, non est
Ut studeas nostris illa vocare foci.
Sed non hac tua mens, non monstris bocce Lycaum
Implere est animus; monstra fugare cupis;
Monstra quidem recitas, sed non monstrosa, studesq;
Monstrorum proprias enumerare notas.
Perge ita ter trinas studiis mactare sorores,
Istis pro monstris saepe brabea ferēs.

1


Vb 17

ULB Halle 3
002 673 282



TA → OL





THEORIA PHYSICA ²⁵
MONSTRORUM,

Quam ^{1629 4}

DDOM.

IN ILLUSTRILEUCOREA ³⁵

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS Sperlingen

Lauchâ-Thuringi,


Examini publico proponit

MARTINUS MICHELMANNUS

Sangerhusâ-Thuringus,

Ad diem 17. Septembr. horis à 7. matutinis.

In Auditorio Philosophorum.



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBAC
ANNO MDCXXIX.

Th. Z.

